

SERIES ALPHABETICA huius
VOLUMINIS.

A	
De Actionum cessione	952.
in successoris universales	972.
necessaria	986.
Alienatione	686.
A. R. P. q. l. G.	123.
Affecuratio	668. b.

C	
De Cambijs	674.
Codicillis	392.
Collatione	271.
Comodato	538.
Conductione	612.
Conditionibus	344.
Conubijs iure	69. 75.
Constitutionibus P. P.	45.
Contradijs innominatis	650.
Cessione actionum	952. 972.
.	986.
Civitatibus mutuo	500.

D	
De Decretis	45.
Delegatione	910.
Deposito	550.
Denunciatioe litis	636.
Divisionibus iuris	i.
Domino	123.

E	
De Errore	778.
Evidentijs	626.
Excussiois Except.	924.

F	
De Fide	704.

I	
De Institutione Heredu	309.
Inventario	412.
Integri restitutione	808.
iuris divisionibus	i.
iure conubijs	75.
restitutionis	428.
retentionis	884.
innominatis g. libis	650.

L	
De Legitimatione	83.
Legitima	237.
Locatione	612.
Legibus	17.
Litis denunciatioe	636.

M	
De Matera tutela	98.
Metus. restitutione	632.
Monopolis	592.
Mutuo civitatis	500.
Novatione	896.
Optione	381.

DISPUTATIO JURIDICA
 De
**JVRE CONNV.
 BIORVM,**

Quam
 DEO TER OPT. MAX.
feliciter annuente,

Consensu & Autoritate Nobilissimi & Am-
 plissimi Jctorum Ordinis in celeberrimâ & flo-
 rentissimâ UNIVERSITATE
 ALTDORPHINÂ,

PRESIDE
JOACHIMO ÖLHAFIO
 DANISCO-BORUSSO,

Exercitii gratiâ
 Ventilandam exhibet
GEORGIUS THIM,
 ALTDORPHINUS.

Mense Junio,

ANNO M. DC. XXIX.

ALTDORPHI,
 E Typographia Balthasaris Scherffij,
 Universitatis Typographi.



INCLYTIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS & SAPIENTISSIMIS VIRIS ac
Dominis

D. VALENTINO à BODECK Præsidi &c.
D. ARNOLDO ab HOLTEN Vice-Præsidi, &c.
D. ECKARDO à KEMPEN Præconsuli, &c.
D. TIDEMANNO GISIO } Consulibus &
D. EDUARDO RÜDIGERO } ærarij publici
præfectis, &c.

In Regiâ & præpotenti Republ.
DANTISCANA,

DOMINIS ET MECOENATIBUS
OPTIMIS MAXIMIS,

Disputationem
hanc

*In observantia testimonium & devoti
affectus documentum*

Pro sui suorumq; studiorum commendatione
L. M. Q.

Inscribit

&

submissè offert

Humilimus cliens

JOACHIMUS ÖLHAFIUS
Junior.



Σὺν Θεῷ.

DISPUTATIO

De

JURE CONNUBIORUM.

THESIS I.



Connubium sive nuptiæ, *l. in eo jure*
45. §. hoc caput 4. d. R. N. l. fin. in pr. d. divor. &
repud. l. cum ancillis. 3. in pr. & l. pen. C. de inces.
& inut. nupt. aliàs matrimonium, l. à caligato
21. C. d. nupt interdum conjugium appellantur. d. l. à ca-
ligato 21. C. d. nupt. Paul. Cypr. tract. d. Jur. Connub. par. 2.
c. 1. §. 1. n. 1. 6. & 8. Joach. à Beust tract. d. matrim. c. 1.
Donell. lib. 13. Com. c. 18. Borch. ad pr. J. d. nupt. n. 2. & seqq.

I I.

Connubium autem, quod est uxoris jure ducendæ
 facultas, *Ulp. in frag. tit. 5. §. connubium. 2. ut & nuptiæ*
dicuntur à nuptu, i. e. opertione & velamento. c. nec
illud. 30. q. 5. Wesemb in w. ff. d. R. N. n. 1. Alb. Gentil. lib. 2.
d. Nupt. c. 3. Donell. d. lib. 13. Com. c. 18. Ant. Fab. in Jurispr.
Pap. lib. 1. tit. 9. Princ. 1. Et definiuntur à Jcto Modestino,
conjunctio maris & foeminæ, & consortium omnis vi-
tæ: divini & humani juris communicatio. l. 1. d. R. N.

I I I.

Suntq; aliæ justæ, aliæ injustæ, *arg. pr. J. d. nupt. &*
l. si uxor. 13. §. 1. ad l. Jul. d. adult. Nos de justis saltem
videbimus: nam si eas cognoverimus, simul intellige-
mus, quæ injustæ sunt. arg. pr. J. d. his qui sunt sui. vel ali.

A 2

Jur.

Jur. Justæ autem nuptiæ sunt, quæ secundum præcepta legum contrahuntur. *d. pr. J. d. nupt. Vult. lib. 1. Jur. Rom. c. 19.*

IV.

Easq; contrahunt **M A S & F Œ M I N A.** *d. l. 1. d. R. N. & §. 1. J. d. patr. pot. Gen. c. 1. vers. 22. & c. 2. vers. 27. & seq. Matth. c. 19. vers. 3. & seq. Unde sequitur eandem duob⁹ nuptam esse non posse. § adfinitatis 6. & § seq. l. d. nupt. nec maritum binas nuptias eodem tempore constitutas habere posse. l. 1. d. his qui not. infam. Affectus enim conjugalis in plures insimul fœminas dividi non debet: quum ab initio una costa in unam fœminam sit conversa, ut loquitur *Innocent. Pontif. in c. gaudemus 7. d. divort. Beust. d. matrim. c. 3.**

V.

Mortuo verò altero conjugate reiterari nuptiæ ab altero possunt. *t. t. C. d. secund. nupt. Covarr. d. matrim. par. 2. c. 3. §. 9. n. 6. Bez. d. polygam. fol. 30. & seq. Beust. d. c. 3. Trent. vol. 2. D. 6. th. 7. lit. F. ab uxore tamen intrâ annum luctus contrahi nuptiæ nequeunt: citrà infamiæ pœnam. l. 1. d. his qui not. infam. Alber. Gentil. lib. 6. d. Nupt. c. 22. Et hoc de Jure Civili: nam secus est Jure Canonico, c. pen. & ult. d. secund. nupt. Wes. in c. ff. d. his qui not. infam. n. 5.*

VI.

Contrahere possunt nuptias omnes **P E R S O N Æ I D O N E Æ.** Idoneæ autem sunt, quæ non prohibentur. *c. cum apud sedem. 23. d. sponsal. & matr. Prohibentur autem quædam naturâ, quædam jure.*

VII.

Naturâ prohibentur i. qui generare non possunt,
ut sunt

ut sunt masculi quidem impuberes, i. e. minores 14. annis, foeminae autem nondum viripotentes, i. e. minores 12. annis. *pr. I. d. nupt. Paul. Cypr. d. tract. p. 1. c. 9. §. 7.* Cur autem foeminis biennio citius jus nubendi tributum, ratio videri potest apud *Cypr. d. c. 9. §. 2. n. 7. §. 8.* Jus verò Canonicum (quo non ex annis, sed exigendi potentiâ pubertas aestimatur) etiam ante illud tempus nuptias permittit, si malitia ætatem suppleat. *c. puberes 3. c. de illis 9. d. despons. impub. Mynsin. ad pr. I. d. nupt. n. 6.*

VIII.

Item castrati. *l. si serva 39. d. Iur. dot. l. alumnos. 14. §. ult. d. man. vind. Cypr. d. c. 9. §. 13.* Add. *Alber. Gentil. lib. 3. d. nupt. c. 2.* Nuptias tamen, quæ inter masculos & foeminas majores vel minores sexagenarijs lege Juliâ vel Papiâ prohibitæ sunt, homines volentes contrahere & ex nullo modo, vel ex nullâ parte impediri sancit *Imper. in l. sancimus 27. C. d. nupt. Cypr. d. c. 9. §. 8.*

IX.

11. Naturâ prohibentur, qui consentire nequeunt, ut sunt furiosi. *l. patre 8. d. his qui sunt sui vel al. jur. l. furor. 8. d. Sponsal. l. oratione 16. §. fin. d. R. N. Alber. Gentil. lib. 3. d. Nupt. c. 7. Donell. lib. 13. Com. c. 19:* qui tamen dilucida intervalla habent, rectè nuptias contrahunt eo tempore, quo furor intermittit & cessat. Nam tum ad sanam mentem reversi censentur, & per consequens consentire possunt. *l. Divus 14. d. off. presid. l. sicum dotem 22. §. si maritus. 7. solut. matr. Cypr. d. spons. c. 16. §. 59.* Et hi naturâ prohibentur.

X.

Jure prohibentur contrahere nuptias propter ju-

stam causam, quæ spectatur vel in statu personæ, vel extra statum. In statu personæ hæc causa est, si quis non sit civis Romanus. *pr. l. d. nupt. Gajus in fragm. lib. 1. Instit. tit. d. matrimon. 4. in pr. & Ulp. in fragm. tit. d. his qui in pot. sunt. 5. §. connubium. 3. qualis est 1. Servus. l. si neget 7. d. agnos. §. al. lib. l. cum ancillis 3. C. d. incest. & incut. nupt. Ulp. d. t. §. cum servis 4. Quod tamen Jure Canonico correctum, t. t. d. conjug. serv. Schneid. ad tit. l. d. nupt. p. 2. n. 8. Contr. Mauser. ad pr. l. d. nupt. 2. Peregrinus. l. sed si 6. §. solemus 2. d. hered. instit. Senec. lib. 4. d. benef. c. 35.*

XI.

Extra statum personæ, causa quæ nuptias prohibet est duplex: 1. Turpitudine mutua conjugii 2. Justus externi alicujus incommodi ex eo conjugio metus. Turpitudine est ab arctiore conjunctione contrahentium, quæ est aut cognationis, aut affinitatis. Cognatio alia directa est, & alia ex transverso seu latere. Directa est inter parentes & liberos.

XII.

Inter hos igitur nuptiæ tanquam incestæ & nefariæ in infinitum sunt prohibitæ. §. ergo 1. l. d. nupt. l. nuptiæ. 53. d. R. N. l. nemini. 17. C. d. nupt. Nov. d. incest. & nefar. nupt. 12. c. 1. l. adoptivus 14. §. servilis 2. d. R. N. l. quin etiam 55. d. t. l. qui in adoptionem 23. d. adopt. Covarruv. d. matrimon. p. 2. c. 6. §. 6. n. 12. & §. 10. n. 8. Alber. Gentil. lib. 5. d. Nupt. c. 7. Cypr. d. lur. Conn. p. 2. c. 6. §. 1. Donell. lib. 13. Comm. c. 19. ibiq. Hillig. lit. F.

XIII.

Cognatio quoq; spiritualis nuptias impedit. l. si quis alumnam 26. C. d. nupt. c. ita diligere & aliquot seqq. 30. q. 3. t. t. d. cognat. spir. & c. 1. eod. tit. in 6. Covarr. d. c. 6. §. 4.
Duar.

Duar. d. nupt. c. 5. Moribus tamen nostris factam ejusmodi cognationem nullum creare impedimentum, asserit *Wesemb. in w. ff. d. R. N. n. 4. in f. Treut. Vol. 2. D. 6. 0. 3. lit. E. Alber. Gentil. d. lib. 5. c. ult. Winol. Molrad. ad §. sunt & alia. I. d. nupt.*

XIV.

Ex transverso seu à latere cognatio eorum est, quorum unus ab altero non descendit, uterq; tamen descendit ab alio quodam communi parente. Et in hoc ordine quidam invicem pro parentibus & liberis habentur, inter quos quotocunq; gradu sint, nuptiæ consistere non possunt. *§. fratris 3. §. item amitam. 5. I. d. nupt. l. per adoptionem 17. §. ult. l. sororis 39. in pr. d. R. N. l. nemini 17. C. d. nupt. l. ult. C. d. incest. & inut. nupt. Donel. lib. 13. Com. c. 19. Cypr. p. 2. d. matrim. c. 6. §. 1. n. 17.* qui ordo etiam jure divino prohibitionem habet. *Levit. 18. Conrad. Mauser. ad §. fratris I. d. nupt.*

XV.

Cognati verò, quorum unus alteri pro parente non habetur, nulli inter se matrimonio prohibentur jungi, sive sint in lineâ æquali, sive inæquali h. e. pari gradu distent à communi parente, vel gradu dispari, præterquam fratres & sorores. *§. inter eas. 2. §. fratris. 3. I. d. nupt. l. libertinus. 8. eod. tit. Levit. c. 18. vers. 9. & c. 20. vers. 17. Deut. c. 22. vers. 22. Ezech. c. 22. vers. 11. Covarruv. d. matr. p. 2. c. 6. §. 10. n. 17. & seq. Alber. Gentil. lib. 5. d. nupt. c. 8. Cypr. p. 2. c. 6. §. 1. n. 13.* Inter quos tamen Juris Gentium incestus non committitur. *l. fin. d. R. N. Wesemb. ad §. inter eas. 2. n. 1. I. d. nupt. ubi etiam Giph. Vid. Cujac. lib. 16. ob. 37. & Forst. p. 1. Diss. 3. th. 24.*

XVI.

Duorum igitur fratrum vel sororum liberi rectè
conjunguntur

conjunguntur tam Jure divino, *Gen. c. 28. & c. 29. Jos. c. 15. vers. 17.* quam Jure Civili. *§. duorum 4. l. d. nupt l. non solum 67. §. 1. d. R. N l. celebrandis 19. C. eod. l. uter 23. cum l. seq. d. cond. instit. Alb. Gentil. 5. d. nupt. c. 11. Cypr. d. c. 6. §. 1. n. 19. Donel. lib. 13. Com. c. 19. ibiq; Hillig. lit. H. Treut. Vol. 2. d. 6. th. 2. lit. E ibiq; Bachov. Stephan d. Ma-
 lescot. tract. d. Nupt. c. 4. Contr. Mauser. ad §. duorum l. d. nupt. ibiq; Wesemb. Giph. Mynsin. Hotom. Vult. Jure Ca-
 nonico, & moribus nostris aliud observatur; & illo
 quidem usq; ad quartum gradum inclusivè. *c. pen d. consangu. & aff. his verò usq; ad quartum gradum ex-
 clusivè interdicta sunt matrimoni. à Wes. in w. ff. d. R. N. n. 4.**

XVII.

Affinitas quoq; quandam prohibitionem habet
§. ad finitatis 6. l. d. nupt. Est autem vel vera, vel quali. Ve-
 ra affinitas prohibet contrahere nuptias i. cum defun-
 cti fratris vel sororis relicto conjuge. *l. fratris 5. l. pen. &
 ult. C. d. incest. & in ut. nupt.* Quo tamen casu dispensati-
 onem Ecclesie admitti posse putat Joan. Andrea, vid.
 alias magni nominis inter Canonistas, & à Baldo Cano-
 nici juris fons & tuba appellatus, *consil. 226. n. 1. Vol. 1.*
 quem laudat & sequitur Reverendissimus & Illustris-
 simus Dominus, D. Andreas Lipski à Lipe Jctus &c. nunc
 Episcopus Cujaviensis &c. &c. Dominus meus gratio-
 sissimus, *Observ. Pract. cent. 2. Ob. 28. n. 9. Add. Did. Co-
 varr. p. 2. c. 6. §. 10. præcipuè n. 20. cum seqq.*

XVIII.

2. Vera affinitas nuptias prohibet cum iis, qui vel
 parentum vel liberorum loco habentur. *l. non facile 4. §.
 hos itaq; 7. d. grad. & affin. l. adoptivus. 14. §. ult. l. nemini 17.
 C. d. nupt.*

C. d. nupt. l. fin. §. un. d. cond. sin. caus. §. socrum. 7. ubi Dd.
 I. d. nupt. l. si adulterium. 38. in pr. & §. iudem. 5. ad l. Jul. d.
 adult. §. affinitas. 6. I. d. nupt. Propter quasi affinitatem
 prohibentur nuptiæ inter te & sponsam tui filii, Spon-
 sam Patris, matrem sponsæ, & filiam, quam uxor tua
 post divortium ex alio marito procreavit. §. si uxor 9.
 I. d. nupt. l. si qua 12. §. 1. cum §. seqq. l. adoptivus 14. §.
 ult. in f. d. R. N. Et inter has personas ob arctiorem con-
 junctionem nuptiæ prohibentur.

XIX.

Ob justum externi alicujus ex eo conjugio incom-
 modi metum probibetur 1. Senator ejusq; filius ducere
 libertinam. l. lege Papiâ 23. & l. lege 44 d. R. N. (quod ta-
 men jus mutatum fuit in. Nov. ut libert. d. cat. aur. non
 indig. ann. 78. c. si quis autem 3.) item eam foeminam, cu-
 jus pater materve artem ludricam facit, feceritve d. l.
 lege 44., ut & tabernariam, tabernarii vel lenonis aut
 arenarii filiam eamve, quæ mercimoniis publicè præ-
 fuit. l. humilem 7. C. de incest. & inut. nupt. Donel. d. lib. 13.
 Com. c. 19. Wes. in ff. d. R. N. n. 4.

XX.

2. Præses provinciæ, aut qui cum eo sunt, quive in
 eâ provinciâ temporali aliquo officio funguntur, ex
 eâ provinciâ oriundam, aut ibi domicilium habentem
 uxorem ducere prohibentur. l. si quis 38. d. R. N. Ant.
 Fab. in Jur. Pap. lib. 1. tit. 9. Prin. 1. Illat. 12. Donell. d. lib.
 13. c. 19. ibiq; Hillig. lit. S. 3. Tutor aut curator pupillam
 aut adultam suam sibi aut filio in matrimonium con-
 jungere non potest. l. libertus 64. in pr. §. 1. l. non est. 66.
 l. non solum 67. in pr. d. t. l. si tutor 7. & t. t. C. d. interd. matr.
 inter pup. & tut. Alb. Gentil. lib. 3. d. Nupt. c. 12. Ant. Fab. d.

B

Princ.

Princ. 1. Illat. 11. Donell. d. c. 19. ibiq; Hillig. lit. V. & X. Sed
& hæ prohibitiones civiles partim Jure Novellarum.
Auth. sed novo jure C. d. nupt. partim moribus nostris non
attenduntur. Wes. in w. ff. d. R. N. n. 4. Add. Ritterh. d.
diff. Jur. civ. & Can. lib. 1. c. 20.

X XI.

Et inter has personas nuptiæ prohibentur: Unde
facile sciri licet quibus non interdicitur hæc CONIUN-
CTIO, iisdem EANDEM permissam esse. Nuptias
porro facit CONSENSUS. l. nuptias 30. d. R. J. l. pen. C. d.
incef. & inut. nupt. l. jubemus 11. in pr. C. d. repud. Nov.
Quibus mod. nat. fil. eff. legit. 74. c. illud quoq; 4. Nov. ut li-
ceat matr. & avia & c. 117. c. hoc quoq; 3. Nov. d. nuptiis 22.
c. 3. l. si donationem 22. C. eod. tit. l. pen. in pr. d. don. int. vir.
& ux. c. cum locum 14. c. cum apud sedem. 23. d. sponsal. & matr.
c. ult. d. spons. duor. tam eorum, qui coeunt, quam quo-
rum sunt in potestate. l. 2. d. R. N. Unde matris propin-
quorum & curatorum consensus necessarius non est.
l. in copulandis 8. C. d. nupt. nisi forte in feminâ minore 25.
annis, & parente orbata. l. vidua 18 l. in conjunctione. 20.
C. eod. tit. Ortolph. Foman. Disp. ad Inst. 3. b. 14. lit. A.

X XII.

Consensum Parentum, in quorum sunt potestate,
ita exigit Jus civile in nuptiis filiorum familias, ut sine
eo contractæ jure subsistere non possint. pr. l. d. nupt. l.
nuptia. 2. l. nuptia. 18. l. filius familias. 35. d. R. N. l. dotis pro-
missio 68. d. Jur. dot. l. 2. l. nec filium. 12. C. d. nupt. l. un. §. 1.
C. d. rapt. virg. Ratio hujus juris redditur in l. in bello 12.
§. medio 3. d. captiv. & postlimi. & c. Ern. Cothman. Vol. 1.
Resp. 1. n. 65. & seqq. etiamsi concubitus secutus fuerit,
Amplissimus & Consultissimus D. Erasmus Ungepaui,
J Ctus

Jctus & Antecessor Universitatis hujus celeberrimus,
Nobilissimiq; Jctorum ordinis p. t. Decanus &c. Do-
ctor meus omni honoris & observantiæ cultu ætatem
colendus *Exer. Just. 3. q. 6. in nego.* & ita quoq; ab inclu-
to Collegio Juridico Universitatis hujus responsum
fuisse docuit me Amplifs. & Consultis. *D. Agid. Agri-
cola*, Jctus & Antecessor Clarissimus, &c. Præceptor
meus observandissimus, in *prælect. ad tit. 1. d. Nupt. q. 3.*
Nisi pater ratihabitione eas confirmarit, quæ etiam ad
initium nuptiarum retrahitur. *D. D. Ungep. modò
laudato Ex. 3. q. 6. in Ajo.*

XXIII.

Idem de Jure Canonico dicendum statuit *Donel.
lib. 13. Com. c. 20. Gabr. Palæot. tract. d. spur. c. 8. Alb. Gen-
til. lib. 4. d. Nupt. c. 4. Cothm. Vol. 1. Resp. 1. n. 152. & seqq.
Adrian. Pulvæus lib. singul. d. nupt. sine par. consens. non contr. n.
7 Steph. de Malefcot. in tract. d. nupt. c. 4. cum quibus et-
iam facit D. D. Ungep. d. Ex. 3. q. 5. propter c. aliter. c.
nostrates. 30. q. 5. c. si verum 31. q. 2. c. honorantur. c. mulier
32. q. 2.*

XXIV.

Verùm jure naturali & divino morali aliud obti-
net, eoq; consensus Parentum non ad esse matrimonii,
sed ad benè esse, solo honestatis & pietatis intuitu re-
quiri videtur: Proindeq; matrimonium absq; consen-
su Parentum contractum his juribus subsistere puta-
mus. Quamvis liberos ita contrahentes graviter pec-
care, & ob id puniri etiam posse non negemus. *Ant.
Guib. Costan. lib. quest. c. 12. & in comm. d. matr. tit. d. Rit.
Nupt. n. 91. & seqq. Giph. ad l. nuptias 30. n. ult. d. R. J. Ant.
Cont. lib. 1. lect. subseciv. c. 4. Wes. ad pr. 1. d. nupt. n. 7. D. D.
Ungep. d. Ex. 3. q. 5. in Ajo. Val. Riem. Illust. Quest. Dec. 2.
q. 4. & 5.*

B 2

Neq;

X X V.

Neq; verò nuptiarum filiifamiliàs omnis potestas in patre est, sed ipsum quoq; filium familiàs consentire oportet. *l. sponsalia 11. l. filio familias 13. d. sponsal. l. filius familias 21. d. R. N. c. 1. 2. 3. 31. q. 2. Alb. Gentil. lib. 4. d. nupt. c. 10.* Consensus porrò ipsorum contrahentium intervenit aut expressè *c. licet. 3. d. sponsâ duor. aut tacitè. c. cum apud 23. d. sponsal. c. un. d. despons. impub. in 6. l. sed quæ 12. d. sponsal. Alb. Gentil. d. lib. 4. c. 11.* Fit autem in MUTUAM POTESTATEM CORPORUM. *Bonavent. ad lib. 4. Senten. dist. 28. q. ult. & quidem GENERATIONIS causâ. l. 1. solut. matr. 1. ad Cor. c. 7. vers. 3. cum seqq. Steph. de Malefcot. lib. d. Nupt. c. 6.* ac propter INDIVIDUAM VITÆ CONSUETUDINEM, *§. 1. l. d. patr. pot. l. 1. d. R. N. Matth. c. 19. vers. 4. cum seqq. 1. ad Corint. c. 7. vers. 10. cum seqq.* Quare si alter ab altero discedat, ut seorsim habitet, implorari potest officium Judicis, & ab eo cogi uxor, ut redeat ad maritum: maritus autem, ut uxorem ad se recipiat. *c. 1. c. ex parte 9. d. sponsal. c. literas 13. d. yestit. spoliat. Covarr. d. matrim. p. 2. c. 7. n. 1. § 3.*

X X V I.

Nuptiarum ita contractarum RITUS apud Romanos vacillerant, de quibus videri potest *Alex. ab Alexand. lib. 2. Genial. die. c. 5. Guid. Pancir. lib. 1. rer. memor. c. d. nupt. & ibi Henr. Salmuth in not. Cypr. d. sponsal. c. 5. §. 5.* Præcipuus a. ritus consistebat in novæ nuptæ in domum mariti deductione *l. mulierem 5. d. R. N. l. si ut certo 5. §. interdum 10. Comm. vel contr. l. cum post. 69. §. in domum 3. d. l. ure dot. l. quæ situm est 17. inf. d. reb. aut. jud. possid. l. si uxor 13. §. si minor 8. ad l. Ful. d. adult. quæ tamen ad essentiam matrimonii necessaria non fuit, cum consensum sufficere dictum sit supra *th. 21. D. D. Ungep. d. Ex. 3. q. 4. in Ajo.**

RITUS

XXVII.

RITUS qui adhuc hodiè in usu est, est benedictio sacerdotalis, quæ nihil aliud est, quam pia ad DEUM precatio, ut felix, faustum & fœcundum sit matrimonium. *c. aliter. cum aliquot seqq. 30. q. 5. Nov. Leon. ne matrim. citra sacr. bened. conf. 89.* Et quamvis benedictio hæc ad substantiam matrimonii nihil faciat, ut probat *Ern. Cothm. Vol. 1. Resp. 1. n. 158. & seqq.* tamen quoniam vetustissima est, & justis de causis sancita, ideoq; meritò in benè constitutis Rebuspub. observatur. *D. D. Ungep. d. Ex. 3. q. 4.* Eam autem præcedere debent tres denunciationses futurarum nuptiarum, quæ fiunt in Ecclesiâ per vices, ut si quis aliquid habeat, quod objiciat, ne matrimonium contrahatur, id proponat intra certum diem. *c. cum inhibitio 3. d. cland. despon. c. cum in tua 27. d. sponsal. & matr. & c. ult. Qui matr. acc. poss.*

XXVIII.

Sciendum autem est ex nuptiis OBLIGATIONEM MUTUAM nasci, quæ tamen non est ejusdem generis, cujus est obligatio, quæ nascitur ex certo contractu, quia matrimonium propriè non est contractus, ut probat *D. D. Ungep. d. Ex. 3. q. 3.* Sed largè ita dicitur, & est talis obligatio, qualis est inter Magistratum & subditum, & deinde patrem familiæ & filium familiæ, arg. *l. obligamur 52. §. lege 5. d. O. & A.* Consistit a. hæc obligatio in communicatione rerum divini & humani juris, *l. 1. d. R. N. & l. adversus 4. C. d. crim. expil. hered.*

XXIX.

Appellatione Juris divini videntur intelligi sacra privata, quorum uxor erat particeps. *d. l. adversus 4. C. d. crim. expil. hered.* ut & illi, qui in familiâ & potestate

B 3

patris



patris erant. *l. ult. §. sed hoc 2. C. d. inof. test. l. ult. pr. C. d. cur. fur. Duar. d. nupt. c. 1.* Hinc quæritur, An inter diversæ Religionis homines nuptiæ rectè contrahantur? Quod negat *D. D. Ungep. d. Ex. 3. q. 7. in Ajoper tex. 2. ad Cor. c. 7. vers. 14. Ex. c. 34. vers. 16. Deut. c. 7. vers. 7. c. Judæi. c. cave. & duob. seqq. 28. q. 1. l. ne quis 6. C. d. Judæis. nisi levis sit in religione dissensio, & talis, cum quâ fundamentum fidei & salutis stare possit, aut fortè spes non omninò vana de futurâ infidelis conversione affulgeat. arg. c. 7. vers. 16. 1. ad Cor. D. Wilb. Ludwell Præceptor meus plurimùm honorandus *Disp. ad Instit. 2. §. 2. lit. E.**

XXX.

Communicatio rerum humani Juris consistit in eo. 1. ut uxor fruatur dignitate mariti. *l. femina. 8. d. senat. l. mulieres. 13. C. d. dignit. lib. 12. l. ult. C. d. incol. lib. 10.* & coruscet mariti radiis, ut dicitur in *Nov. d. consul. 105. c. 2.* etiam ab eo separata, quamdiu alii inferioris ordinis non nupserit. *d. l. feminae 8.* 2. ut uxor habeat idem domicilium & forum cum marito *d. l. ult. d. l. mulieres. 13. l. filii. 22. §. 1. ad munic.* 3. ut fiat uxor participes bonorum mariti *d. l. adversus 4. C. de crim. expil. hered.* Sic etiam maritus uxoris bonis, quæ Græci parapherna dicunt, pro communibus utitur, quamdiu uxor non prohibet. *l. hac lege. 8. C. d. pact. conv. Donel. lib. 13. Com. c. 21. ibiq. Hillig.*

XXXI.

Nuptiis affinia sunt sponsalia. *l. sufficit. 4. l. tutor. 15. l. 16. d. sponsal.* ut ostendit *Paul. Cypr. d. tract. p. 1. cap. 5. §. 34.* & concubinatus *t. t. d. concub. l. divi 5. cum ll. seq. C. d. natur. lib. 1. in libera 24. d. R. N.* Differunt tamen vicissim, quod nuptiæ affectione maritali: Sponsalia sponsalicia

litiã contrahuntur. *Borch. d. grad. p. 69. & seqq. Cypr. d. c. 5. §. 1. & 2. ubi etiam §. 10. & seqq. alias differentias adducit. Cocubinatus verò in eo differt à nuptiis; quod hæ patriam potestatem tribuunt, ille non; nisi legitimatio accedat. Matth. Hübner Diss. de diff. Jur. 1. th. 43.*

XXXII.

Adversatur Nuptiis ERROR PERSONÆ *l. un. 29. q. 1. c. tua 26. d. sponsal. Cypr. d. p. 1. d. sponsal. c. 13. §. 32. & CONDITIONIS d. caus. & q.* Si quis igitur compressam aut gravidam ex alio ducat, repudiare eam omninò potest, nisi maritus gratiam delicti & injuriæ facere velit. *Deut. cap. 22. v. 21. & seqq. Matth. c. 1. v. 19. l. ex empto 11. §. si quis 5. d. A. E. arg. l. 3. pr. & l. pen. d. SC. Maced. D. D. Ungep. d. Ex. 3. q. 8. non fortunæ & qualitatis d. caus. 29. quæst. 1. Cypr. d. c. 13. §. 36. & 39.*

XXXIII.

METUS quoq; justus, qui in constantem virum cadere potest *l. metum 6. quod met. caus. matrimonium vitiat. c. cum locum 14. cap. veniens 15. c. consultationi 28 d. sponsal. & ipso jure nullum efficit. Beust. d. matrim. cap. 44. Gail. lib. 2. Observ. 93. Cypreus d. c. 13. §. 14. & aliquot seqq.* Unde metus reverentialis sufficiens non est ad rescindendum matrimonium. *Beust. d. cap. 44. Schneidew. ad tit. J. d. nupt. p. 2. n. 28. Vid. Cypr. d. cap. 13. §. 18.* Furor quoq; matrimonium impedit, licet contractum non dissolvat. *l. pa. re 8. d. his qui sunt sui vel al. jur. l. furor 8. d. sponsal. l. oratione 16. §. f. d. R. N. l. si cum dotem 22. §. si maritus 7. solut. matrim.* Idem dicendum de ebrietate, si tanta sit, ut neq; pes neq; manus officium faciat. *Weserb. in π. d. R. N. n. 8. Cypr. d. c. 13. §. 61.*

Diris

XXXIV.

Dirimitur matrimonium MORTE, l. i. d. divort. & repud. l. sed si 14. §. sed si 3. qui & à quib. man. lib. non fiunt. c. licitè. 32. q. 7. ubi tradit gl. maritum resuscitatum de jure uxorem suam petere non posse. *Sebast. Medices in tract. mors omnia solvit. p. 2, concl. 65.* CAPTIVITATE vel aliâ contingente SERVITUTE utrius eorum. d. l. i. ut & DIVORTIO, quod vel à diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. l. divortium 2. ibiq; glos. d. divor. & repud. & l. inter 191. d. V. S. & nihil est aliud, quam repudiatio conjugis legitimè facta.

XXXV.

Fit autem divortium vel propter ADULTERIUM. l. consensu 8. & §. si qua 2. C. d. repud. Matth. c. 5. vers. 32. & c. 19. vers. 9. vel propter IMPOTENTIAM COEUNDI. t. t. d. frigid. & malef. *Basil. Monner. tract. d. matr. p. 5. c. 11. Beust. d. matr. c. 14. Winol. Molrad. tract. d. matrim. tit. d. impotent. p. 106. & aliquot seqq.* vel propter MALITIOSAM DESERTIONEM. *Molrad. d. tract. tit. d. malit. desert. p. 115. Monn. d. p. 5. c. 7. & Beust. c. 26. & aliquot seqq.* vel etiam ob alias causas, quas modò laudati *Dd.* recensent. *Add. Cunr. Rittersh. in Jure Justin. p. 4. c. 8.*

Et hæc sunt, quæ de Jure Connubiorum hoc tempore proponere visum fuit.


SOLI DEO GLORIA.


00 A 6343

ULB Halle 3
002 928 566


1. Rubre ✓ VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13



75.

JURIDICA
 ONNV.
 VM,
 OPT. MAX.
 uente,
 e Nobilissimi & Am.
 sin celeberrimâ & flo.
 VERSITATE
 PHINA,
 IDE
 ÖLHAFIO
 BORUSSO,
 gratiâ
 n exhibet
 S T H I M,
 H I N U S'.
 Junio,
 C. XXIX.
 R P H I,
 thasaris Scherffij,
 ypographi.